





Q. D. B. V. 1709/1 18
DISSERTATIO MEDICA

DE

PALPITA-
TIONE CORDIS

Quam

DEO AUXILIANTE

IN ACADEMIA REGIA VIADRINA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE & DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDENB.

HEREDE, &c. &c. &c.

sub PRÆSIDIO

DN. JOH. GEORGII A BERGEN

Med. D. & Profess. Ordin. in hac Alma Viadrina

Domini Patroni, Fautoris, studiorumq; suorum Promo-

toris omni pietatis cultu æternum venerandi

publico eruditorum examini
exhibet

REINHARD RUNGE, Med. Cult. Neo-March.

ad diem

April. Anno MDCCIX.

Francofurti ad Viadrum, Literis JOH. CHRISTOPH. STEPPIN, R.A. Typ.



O. D. R. V.
DISSERTATIO MEDICA

DE
ALPINA
TIONE CORDIS

Com
DEO AUXILIANTE

IN ACADEMIA REGIA VINDOBONENSIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
Augusto ac Serenissimo Princeps & Domino
M. FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSSICAE ELECTORATUS BRANDEBURGENSIS
HAB. DE. EC. EC.
M. D. C. C. C. C. C.

M. JOH. GEORGI A BRUGEN

Med. D. & Prof. Ordin. in hac Alma Vindob.
Vindob. Patron. Hungar. Inductus; hactenus Promo-
toris consilii medicisculi hactenus generandi

REGINARD RUGER, Med. Cons. Neo-March.
in auct.
April. Anno MDCCX.

Typis Jo. Baptistae Schönbaueri, Typogr. Imp. in Vindob.
Lith. JOH. CHRISTOPH. STEINHAUER, R. A. Typ.





PROOEMIUM.



A mortalium conditio est, ut,
quandoquidem Seneca fa-
tente pares omnes nati pa-
res itidem moriamur, cor-
poraque Magnatum ac ho-
minum viliorum, doctiorum ac rudium,
juvenum ac senum, fragilia æque ac cadu-
ca sint, nullaque diuturna aut perenni vel
vitæ vel temporis sui gratia & usura fru-
antur, sed sua quosvis maneant fata;
partium quoque, quibus corpus hu-
manum componitur, nulli, etsi princi-
pes vel ignobiliores fuerint, indomita
morbo-

morborum sævitia pepercerit penitus, sed
variis affectionibus ac ægritudinibus obno-
xias omnes fecerit. Ægrotat & patitur cere-
brum, Mentis humanæ Palatium, æque ac
extremorum artuum articuli. Ventriculus
æque ac renes. Nervi æque ac durissima of-
sa, partesque corporum fluidæ, sanguis æ-
que ac succi & spiritus. Nec numero, ca-
su forteque hac exemptum nec immune vi-
dere Cor est, inter viscera Monarcham, So-
lem Microcosmi, vitæ principium & fon-
tem; cuius tametsi in œconomia animali
partes sint potiores & præ reliquis actiones
plane insignes, variis tamen malis morbis-
que tentatur, ut non abs re fore censueri-
mus, affectum Cordis notabilem, palpita-
tionem dictum, disquisitione publica
ventilare. Cui nostro instituto, ut faveat
Numen benignissimum, ardentissimis su-
spiriis atque precibus rogamus.



THES. I.



Aturam & originem palpitationis cordis rite descripturi ante omnia è re nostra fore existimamus, definire quid proprie in corpore, qualemque affectum palpitationis Cordis denotet. Missa ergo vel vocis derivatione vel multifario significatu,

utpote in quibus erisin exercere nolumus, palpitationem Cordis definimus, quod sit validus impetuosus & inordinatus sive præternaturalis cordis ictus, germanice nonnullis dictus das Herzklopfen/ plebejis das Lebenhüpfen/ ex quo quicquam morbidi Cor, principale humani corporis viscus, pati, ex sequentibus liquidum & planum satis evadet; Nec multum hic moramur aliorum Authorum sententias & definitiones, quatenus quoad singula verba exacte nostræ respondeant, aut non nihil recedant. Sufficiat hac vice communi medicorum suffragio Cordis palpitationem ejusdem insolitum & infrenatum motum indigitare. Sic quod sit cordis motus deprava-

depravatus simulq; auctus, cum Cor quasi proflire & a re
noxia & molesta fugere conatur, innuit Dan. Sennertus
Instit. med. lib. 11. part. 3. sect. 1. Cap. 5. Immoderatam
atq; p.n. cordis concussionem vehementi systole & diasto-
le molestam palpitationem dixit Iaz. Riverius *Prax. Med.*
lib. VIII. Cap. 11. Cordis & arteriarum motum convulsivum,
in quo tamen Cor pars affecta præcipua fit, pronun-
ciat Josephus Jackson in suo *Ench. Theoretico Practico*
Cap. 15. & cum hoc Joh. Jacob. Waldschm. Instit. med. lib. 11.
Cap. 12. art. 44. Porro palpitationem Cordis motum e-
iusdem inordinatum & quodammodo convulsivum, at-
tamen vehementem, esse refert Thom. Willifius in *Di-*
atriba de medicamentorum operatione in corpus hu-
manum sect. 3. Cap. 6. Et qua hujus commatis plura ex
Henr. Regii, de le Boy, Sylvii, Etmülleri, Joh. Dolæi ali-
orumque famigeratorum Practicorum monumentis huc
trahi possint, in quibus præter necessitatem verba cu-
mulare nec animus nec institutum nostrum fert; quan-
doquidem eo primario scopus noster tendit, ut allega-
tis scriptoribus medicis evincamus, cum in designanda
parte corporis affecta tum determinando affectionis mo-
do nos ne latum unguem ab illorum sententia disce-
dere.

THES. II.

Differt palpitatio a naturali cordis motu tam ve-
hementia quam subjectorum notabili disparitate. Dif-
fert itidem a cordis tremore, utrisque peculiaribus mo-
tuum cordis speciebus, vehementem enim adeo fuisse
cordis pulsus, ut anteriores costas diffrigerit, foras pro-
pulerit, sonum motu suo in plateis prætereuntibus per-
cepti.

ceptibilem ediderit, testes sunt Fernelius *lib. 5. Parabol.*
sua Cap. 12. Forestus *lib. 17. observ. 11.* Tulpus *observ. lib. 2.*
Cap. 25. item ephem. Germaniæ decur. 1. ann. 6. p. 44.
Subjectorum autem ratione raro vel nunquam palpita-
tio occurrit in sanis, nisi vel pro analogo cordis vehe-
menti motu ceu momentanea cordis palpitatione ha-
bere velis, validum cordis pulsus in iis, qui paulo cita-
tiori gressu & cursu inceserunt, aut scaldas lenta acclivi-
tate molestas festino gradu conscenderunt, non raro
observabilem: Sed qui pulsus nostra sententia tantum
abest à vera palpitatione, quantum fames naturalis dif-
fert à fame canina; Quamquam tamen nos nec lateat
exemplum palpitationis funestæ ex felici Platero à Laz.
Riverio citatæ à pila lusu & superveniente terrore in
juvene subortæ, *vid. Laz. River. Prax. med. p. m. 286.*
Nec minor differentia inter tremorem Cordis cum palpi-
tatione comparatum; sicuti enim tremor omnis in gene-
re debetur nervorum vitio, aut spirituum animalium
inopia, adeoque interruptus, crebrior quidem, sed tanto
quoque debilior videtur, ita palpitationem speciem pulsus
vehementioris dicere, ex insolito spirituum impetu
insuetisque cordis stimulis ortam nihil veremur: id
quod Thom. Willisus supra non incongrue di-
stinxit, inquit in utroque pathemate, puta, tremore &
palpitatione cordis pulsus inordinatus & quodammodo
convulsivus esse videtur, attamen prioris inordinatio in
vibrationum crebritate, alterius in earundem vehemen-
tia consistit. Ut nihil his ulterius addamus, de syncope
quæ motus cordis omnimode abolitus est, adeoque quo-
modo inter se gradu differre Practicis dicantur, Synco-
pe,

pe, cordis tremor & palpitatio, de quibus passim legi
metentur Practicorum scripta. Nec pluribus comme-
moremus varios palpitationis gradus secundum magis
& minus, aut variis temporum & paroxysmorum inter-
vallis inter se differentes, quorum omnium facilis erit
ratio, cognita tantum palpitationis indole & causa.

THES. III.

ivibus Genuinam quod concernit originem veramque
morbi Aethiologiam vix melius hanc investigari delimi-
arique posse existimamus, quam ex physiologicis natu-
ralem cordis motum ejusque causas repetendo, cumq;
eis debite conferendo, quae ex p. n. causarum classe hunc
violentum interdum reddiderint, & quae in rem hanc
passim Medicorum sagaces & selectae observationes con-
tulerint. Alias nulli quidem inficias imus, idem hoc
thema dudum & saepius à magnorum nominum Viris
solide & perquam accurate tractatum, gravioribusque,
quibus premebatur dubiis solutum fuisse, at quemad-
modum mira est ingeniorum varietas fertilitasque, inq;
argumentis tam antiquos inter quam modernos non
sine laude transactis posteritati omnique aetati & tem-
pori semper relictum sit, in quo ingenium quisque ex-
erceat, prisca perperam intellecta corrigat, interdum
nova addat, ita licitum integrumque nobis fore credi-
dimus paucis palpitationis naturam evolvere, sed tali-
bus, quae non nisi duplici & inconcussa Medicinae fulcro
superstructa rationi & experientiae in omnibus ex asse-
consonare veritatem in apertis ponant collocentque.

THES. IV.

Ordientes ergo à naturali cordis substantia & fin-
itione

tionē ex physiologicis præmittimus, Cor ex, antiqui Medicinæ antistitis, Hippocratis & modernorum celeberrimorum Anatomicorum plerorumq; sententia substantia tenuis musculum esse, duplici motu gaudentem, huncque incessanter in viventibus dies noctesque, uti à primis vita incunabulis, ita ad extremum quoque terminum exercentem, quorum unus Medicis systole, alter diastole dicitur; Atque vero in primo sive systole cordis mucrone ad basin ejusdem accedente, Cordeque sic facto breviorē, sanguinem in appensa vasa sanguifera grandiora intrudi, in secundo autem sive diastole mucrone denuo à basi recedente, cordeque sic iterum elongato, sanguinem novum per auriculas Cordis denuo illabi; sicuti id ipsam Cordis interiorem structuram lustrantibus ex valvularum in proximè adstantium vasorum in & egressu conspiciendarum situ & positu nequit non evidens esse. Præterea nulli dubitamus, quin duplicis hujus motus ratio in mechanica fibrarum cordis structura itemque in legitimè substantiam musculosam transeuntibus humoribus & spiritibus sitam esse; Constat namque non per lineam rectam, ut olim creditum, sed oblique per lineam spiralem in helicis formam intortam Cordis mucronem basin versus trahi, & sub eadem figura & linea priori tantum contraria mucronem iterum à basi referri, qua de re videantur, Rich. Lovverus de Corde, Philip. Verhey anatom. Pet. Dionis demonstr. anatomica. demonstr. pag 270. Nec minari certitudine asserimus, humores libere circulantes pro varia fibrarum vel tubulorum flexu & curvatura, huc modo, modo illuc impulsos, fibras musculorum, inflare, tendere, contra-

A;

contra-



contrahere, sive muscolum mox abbreviare, mox his omnibus ablatis elongare, cujus rei elegantissimum specimen extat, à clariss. Stenone editum. Verum quandoquidem Cor viventium in uno quoque statu diu consistere nequeat, quin ex alterna æquilibrii destructione & restitutione, ac consequenter ab influentibus humoribus & spiritibus, fibræ quibus componitur Cor, & ex his formati tubuli intumescant & detumescant, conceptu planum erit, cur perpetua motuum cordis alternatio, sive systolis & diastolis constans vicissitudo sit. Synchronicos autem seu æquitemporios utriusque ventriculi motus esse, hoc est, eodem tempore elongari ventriculum Cordis dextrum, quo elongatur, aperitur. & sanguinem recipit sinister habereque sic utrumque præcedentem & alternantem cum cordis motibus auricularum & arteriarum vicinarum systolem & diastolem nemini non notum est.

THES. V.

Sunt hæc naturalia & quodcumq; animalium generis fecantibus fere obvia, ad dilucidandam vero palpitationis naturam, dispiciendum jam non nihil accuratius (1.) unde Cor naturaliter suum habeat motum? (2.) quid sit, quod hunc proprie violentum reddat, sicque cordi majorem nisum & impetum conciliet? (3.) in qua præcise motus specie, num in diastole an systole, aut utrag; simul motus p. naturalis specie hic contingat, id quod præcipue ex antedictis duplicem Cordis motum arguentibus adhuc incertum nec rem serio expendentibus dubium videri possit.

THES. VI.

Indagini motuum cordis accinctos nos non præterit

terit quantæ difficultates eodem in argumeto ab aliis
passim sint motæ, sufficienterque agitata. Ingeniosam
Renati des Cartes sententiam de motu Cordis, sangvi-
nis fermentationi & subitæ rarefactioni superstructam
attingere superfedemus, tempore quidem Authoris & à
se & ab aliis strenue defensam, nostro vero hoc ævo, post
fatum Cartesii multis argumentis confutatam à Dan.
Tauvry in anat. sua nova p. m. 78. cujus inter argumen-
ta, quibus hanc impugnat sententiam, non levissimum
esse advertere licet, quod probet cor sangvinem recipi-
ens elongari, extenuari, nequaquam autem inflari aut
abbreviari, quod directe contra Cartesii hypothesein pu-
gnat, illamque sic autopsya & experientia refellit. Nec
commemorabimus, quæ contra fermentationem veles-
fervescentiam sangvinis in Corde notanter scribit Jacob.
le Mort. in suis fundamentis novo-antiquis, theoriæ
medicæ p. 303. 304. Nec refert porro pluribus adduce-
re, aut hic sub examen vocare, qui à spirituum animalium
influxu per nervos cordis factæ, aut ab his & sangvi-
nis humorumque transitu per Cordis parenchyma simul
naturalem Cordis motum alii deducant, utpote quæ sen-
tentia inter plerosque pro verosimili judicata & susce-
pta est. Hoc tantum dicere hic plurimum attinet, Cor
musculum, uti reliquis in omnibus similem, ita pari quo-
que conditione & causa moveri, h. e. contrahi & elon-
gari, statumque in quo Cor abbreviatur veram & pro-
priam esse cordis actionem, alterum autem talem esse,
in quo ab omni actione Cor cessat, ut musculi tempore
somnia elongati quiescunt, licet per illorum substantiam
interea diversimode moveatur sangvis; adeoque hunc
As postre-

postremum merè passivum esse; Quemadmodum ergo
experimenta anatomica toto die docent, aut nervo cu-
jusque musculi rescisso, aut ipso musculo cum vasis san-
guiferis itemque partium tubulis transversim sectis, mo-
tum ubique omnimode tolli, ita quod in explicando Cor-
dis motu sanguini passim adscripserint, non minimum
sanè fuit. Fluxit ex hoc, quod nonnulli Cordis perpetu-
um motum cum mola aquaria comparantes voluerint
sanguinem idem esse respectu Cordis, quod aqua est re-
spectu moletrinx, quam sententiam defensam legasin
Pet. Dionis demonst. anat. §. p. 271. Quo pertinet,
quod propter ligatam venam cavam & Cor ex hoc non
amplius pulsans aliis visum fuerit, sanguinem per Cor
circulantem pulsus & motus causam existere, aut quod
desuper aliis pervasum sit, sanguinem ipso Corde prio-
rem existentem in ovo incubato pulsus inchoasse, sic-
que citra Cordis mechanismum aut perfectionem omni-
um primum & infinitos alios per se produxisse, aut de-
nique, quod multis itemque nobis in asserendo cordis
motu à sanguine non adeo improbabile videtur, quod
pulsuum mira varietas sit, pro vario sanguinis statu
qualitate & motu, quod fieri alioquin non posset, nisi
certo sanguis ad motum quicquam conferret.

THES. VII.

Nec dispar ratio erat nervorum per quos principi-
um movens in omnes corporis musculos traduci diffun-
dique plurimorum ante aliquot annos sententia erat;
Videbant namque Willisus, Lovverus, du Vernay, alii-
que nervorum paris vagi truncum circa jugulum in u-
troque latere arte ligatum Cordis tremorem inferre,
aut



aut nervis ab octavo pari sive intercostalibus plexibus
cardiacis acceptis, plane rescissis in momento Cor ad
quietem redigi, cujus rei experimentum in cane aliquo-
ties institutum extat apud *Thom. Willisum anat. nervorum*
p. 127. itemque Richard. Lowerum Tract. de Corde. quibus a-
pertis verbis subscribere quoque videtur *clariss. Bohm. in*
Circulo anat. progymnasmate 6. inquit: *perhibent equidem hu-*
jus phenomeni primi inventores cor à ligatura dictorum nervorum
tantum contremiscere & palpitare, pernotabile tamen ad huc tem-
pus & observante Willisio per aliquot dies languidum ac miserum
animal vitam protraxisse; quod ego tamen Martyrio huic Philo-
sophico exponebam fulmine quasi tactum à constrictis funiculis
expirabat. Cæterum animi pathemata quoque Cordis
motum mire alterare, intendere, imminuere, paralytin
membra quævis motu privare, constans medicorum ob-
servatio suggererat, ex quibus non poterant non argu-
mentari, spiritibus animalibus horumque receptaculis
nervis in cordis motu, nisi plus, ad minimum tantundem
ac supra sanguini tribuendum esse. At enim vero quot
non diffidiæ & quantæ non lites adversus hanc senten-
tiam medicos inter & anatomicos subortæ? Objici pro
nervis militantibus videas, nervos, puta cordis, exiles
& longè minores esse, quam ut cor viscus tantæ activi-
tatis tamque firmæ compagis suos inde habeat edatque
motus, quandoquidem ne quidem in substantiam cor-
dis penetrent, sed vel in exteriorem membranam vel
auriculas vel vasa sangvifera toti absumentur, quin
imò Cor in juvene ob violentam concussionem sede &
loco suo depulsum versus scrobiculum cordis, adeoque
nervorum nexu ferme solutum per annum integrum rite
pulsaf-

B

pulsaf-

pulfasse, quam observationem reperies in *adversariis analyti-*
cis D. Schyrac. Aut majoris ponderis quod esse videtur, cor
sæpius & corpore reliquorum animantium evulsum multis
vicibus diastolen & systolen in manu detentum repetiisse,
prouti hac super re inspicere merentur *observationes de Mot.*
Cord. Cl. Stenon; aut plane cor ab abscissis nervis vegetius
moveri, quale quid legas apud *Ant. Sidobre de Variolis p. 39.*
quibus omnibus affirmativam, quam pro nervis in cor-
dis motibus ferebant plurimi, everti & notabiliter in-
fringi satis superque intelligebant. Quicquid tamen il-
lorum omnium sit, certum est, statque sententia hæc
antedictis argumentis abunde firmata, Cordis motum
videlicet non à sanguine, neque à spiritibus animalibus,
neque à structura cordis mechanica tanquam causis lo-
citaris, sed ab omnibus simul sumptis, adeoque ex partium
plurimarum concursu & harmonia deducendum
esse, ad eundem prorsus modum, quo horologii rotulæ
plures & variæ conspirant ad unum eundemque effe-
ctum producendum, aut una vel altera rotula impedita
vel quovis alio modo labefactata totius horologii effectum
fisti constat, quantumvis hæc ipsa non sit totius in ho-
rologio motus causa unica, nec primaria, sed omnes si-
mul rotulæ conjunctim, series, artificiosus nexus adeoque
mera partium concatenatarum symmetria. Similem
proin sanguinis & spirituum animalium consensum,
mutuam cerebri & cordis operam per eleganter à *Cl.*
R. Lowero descriptam, si ad animam revocemus res, omni
difficultate carebit, eritque tanto conceptu facilius, cur
æque à nervo crurali ligato, ac ab arteria aorta constricta
motus partium inferiorum prorsus pereant, quoniam
cessan-



cessante horum altero affectus à duplici alias causa ori-
undus illico cessat, *vid. Dissert. Cl. Rivini de spasmo* aut cur
ad omnium musculorum motum cum sanguis tum sp-
ritus animales necessario requirantur. *confer. Barth. de*
Moor. pathol. cerebri cap. de Paralyf. Stimuli autem loco
sanguinem auricularum esse, motum cordis stimulan-
tem cum *Excell. Behnio* aliisque non tam admittimus
quam verè agnoscimus, ideo enim varium sanguinis
statum pulsum Cordis insigniter variare circa preceden-
tis thesios finem statuimus, quia stimulis variis cor irri-
tatur, ac ideo à fortioribus & insolitis stimulis fortius
contrahi, convelli. & gravissime interdum concuti per-
vasissimum habemus, id quod manifestius & speciali-
us patebit ex sequentibus. Superfedemus illorum hic
adhuc examinare sententiam cordis motum ab aère e-
jusque parte nitrosa perperam deducentium; etenim
quamvis à constricta trachea aut impedita in vacuo
Boyleano respiratione cordis motus sistatur, animalque
brevi moriatur, tantum tamen abest, ut hoc ipsum pro-
bet, aèrem ejusque partem virtute elastica præditam
cordis motum sustentare, ut potius oculariter doceat
cum pulmonum motum tum sanguinis per pulmones
transitum una symbolam suam conferre ad circulum
sanguinis efficacius promovendum, majoremque in cor-
pore calorem accendendum, quorum omnibus causis
sublatis & interceptis mirum non est, ut animal brevi
temporis spatio moriatur.

THES. VIII.

Liquet hoc pacto, quæ motuum cordis præcipuæ
causa sint. Ast non sine causa adhuc inquirere decet,
unde

unde regularis & constans motuum alternatio inter
cordis auriculas & ejusdem ventriculos? Non equidem
nos latet, quam gravis & intricata, quamque difficilis
decisionis quæstio nobis sit futura. Serio tamen expen-
dentes quam parum de ea scriptorum diversa placita
convenient, aut observationes obiter factæ, quod dubi-
um, solvant, quod obscurum hac in re, dilucident. disqui-
sitionis veniam ab æquo lectore nos impetraturos faci-
le confidimus. Statuunt non pauci, cor ejusque Machi-
nam continuo tensam expansam & virtute elastica præ-
ditam esse. Sed obsecro in quo consistit hæc elastic-
tatis ratio? Corpora solida, rigida, hujus alias capacia,
cordis vicem gerere, ac in ejus locum nobis venire ne-
queunt: De Elasticitate autem fluidorum & præsertim
humorum in viventibus altum adhuc inter philosophos
& Medicos silentium, adeo ut indefessus rerum seruta-
tor permulta, quæ desideret, hic inveniat. Placet aliis,
cor tantum unico gaudere motu, nimirum constrictivo,
quo cordis mucro versus basin tractus systolen facit, al-
terum vero spontaneum & ex naturali fibrarum laxi-
tate aut ab intrante sanguine & hinc aliquali sed re-
missiori tensione oriundum esse. Ast quamvis nulli in-
ficias eamus, posteriorum placitum plerorumque cal-
culo dignum, veroque consonum videri, adeoque cor-
dis motum omnem quatenus tanquam musculus biven-
tris unico prope basin gaudet tendine, in systole esse po-
situm, nondum tamen inde liquido patet illa constans
motuum reciprocatio, quam propterea nonnihil diluci-
dandam ac vel in Cordis & auricularum structura & ne-
xu, vel in sanguinis & spirituum animalium affluxu
quærendam esse merito judicamus.

THES. IX.



THESES. IX.

Cogitantibus ergo binos cordis ventriculos systolen pati non posse, quum sanguis in annexas arterias propulsus easdem dilatat, quinque simul ab exeunte cordis thalamis sanguine atriæ auriculæ ab expansis ventriculorum valvulis obturentur, manifeste constabit, nihil sanguinis durante arteriarum & imprimis aortæ diastole arterias coronarias subingredi; ut enim aorta circa exortum munita est valvulis tribus sigmoideis sanguini Cor versus regressuro viam præcludentibus, ita Cor in systole contortum ac constrictum sanguinem ex arteriis coronariis in venam non adigit tantum, sed valvulas quoque arteriæ coronariæ ad illius ostium positas inflat arteriamque claudit. Adeo ut in Cordis systole sanguinis nihil ex aorta cordis substantiam penetret, in diastole autem cessante constrictione cordis arteria coronaria sanguinem recipiat. Similis autem ratio occurrit circa motum auricularum, hæ namque arterias habent, furculos ejusdem arteriæ coronariæ & constrictæ albescunt totæ, indicio plane infallibili, hoc temporis momento sanguinem intra illarum arteriolas non recipi. Constrictio autem corde sanguis eo fortius in arterias auriculares protruditur, atque sic auricula inflatur & sanguinem recipiens rubet; id quod viventium animantium cor sæpius illustrantibus oculariter plane perspectum est, nec ullam dissecta subito aorta, ac sublato sic commercio hanc inter ejusque sanguinem & Cor, vel auricularum vel ventriculorum cordis expansionem amplius fieri nec observari testis est. *Cl. Strom. in sua nova theoria motuum reciprocorum in æconomia animali propof. 5.*



THES. X.

Quæ quidem omnia etsi sanguinem per Cor æque ac auriculas alternis vicibus moveri in aprico collocent, nec inchoandis tamen nec continuandis his reciproca- tionibus motibusque allegata causa sufficiunt. Sed necesse est, in partes ac subsidium hic vocemus spiritus animales, per nervos cardiacos à cerebro ad Cor confluentes; videturque namque valde probabile, partim ab his partim à sanguine organicarum partium sibi contra nitentium alternam æquilibrii destructionem & restitutionem unice perferri. A quo autem primo motore bina hæc fluida primum accipiant motum, primamque vim suæ activitatis determinare hic superfedemus, quandoquidem caliginem ingenio humano tantam obducit abstrusum conceptionis & generationis negotium ut si ullum hic locum habeat valeatque ratio cœnium humanum, nulli facile primas deferendas censeamus, quam mundi materia subtilissimæ & ætheræ, fluidorum omniumque corporum universali motori. Quibus ita positis res aliter esse nequit, quam quod durante auricularum systole fiat cordis diastole, & vicissim durante cordis systole fiat auricularum diastole, quorum sic mutua & alterna semper per omnem vitam vicissitudo est, vix enim vel rarius admodum in statu sanitatis usu veniet, ut alterna hac motuum ratione mutata aliquoties auricula contrahatur h. e. systolem peragat, antequam Cordis subsequatur diastole; quanquam id ipsum interdum fieri pro certo credamus, imprimis in agrotantibus & langventibus vel plane moribundis ubi his terve auriculæ contractæ Cor sanguinem obruunt



ruunt & sic cordis systolen quidem rariorem sed simul
efficaciorem producunt, quemadmodum id ipsum toto
die medici observant in moribundis; in quibus ulti-
mus Cordis ictus palpitationem & extremum cordis co-
natum magis æmulatur quam pulsus, cujus rei testis
est *Goil. Harveus tract. de motu Cordis & sanguine cap. 4*
inquiens: *Dum sensim emoritur Cor videre licet post duas vel*
tres pulsationes auricularum aliquando quasi expergesfactum Cor
respondere, & unum pulsus lente & ægre peragere & moliri.
Cui suffragatur quoque *Nic. Steno in observ. circa motum*
Cordis & auricularum factis. Scribens: in alio Canē vidimus
modo quintam modo septimam, quamvis auricula micationem u-
num cordis motum excipere.

THES. XI.

Atque sic hucusque ex fabrica Cordis, structura
vasorum, motuque fluidorum alternante omnes mo-
tum species tum cordis tum auricularum deduximus.
Restat ut paucis adhuc ostendamus, quo ordine à pri-
mis vitæ primordiis, omnes hæ incipiant & quo iterum
definiant. In moribundis refert *Cl. Harveus, l. f. c. sic prius*
desinit cor pulsare quam auricula, ut auricula supervivere di-
cantur: primus omnium desinit pulsare sinister ventriculus, dein
ejus auricula, demum dexter ventriculus, ultimo reliquis omni-
bis cessantibus & mortuis pulsat dextra auricula, ita ut cum
illius quiete vita expiret. Quæ quidem Cl. Harvei verba fa-
tis arguunt, desisse vitam cum motu auriculæ dextræ,
adeoque finem magis quam initium concernunt, sed sicuti
Cl. Auth. exitum vitæ satis curiose observavit, ita
simul ex attenta ovi incubati inspectione comperit, pun-
ctum saliens primum alias vitæ indicium, non tam
Cor

Cor quam dextram ejus auriculam esse, ab hac motum eadem via, quā in moribundis recessisse, modo ex *Harveo* allegavimus, latius serpere, hocque pacto auriculam dextram fere primum movens & ultimum moriens esse.

THES. XII.

Naturales hæc de quibus in superioribus actum motuum Cordis & auricularum causæ sunt. Pro tradenda vero *Æthiologia* affectus nostri sc. Palpitationis, quam præternaturalem & inordinatum motum Cordis *Thef.* definitivimus, ad investigationem causarum insolitarum & præternaturalium, nunc quoque properandum erit. Ubi in genere monere expedit, pro magnitudine stimulorum Cor quacunque ratione irritantium vehementius semper idem convelli concutique. Ea enim perpetua in oeconomia animali corporis lex est, ut fibræ contractiles stimulatae in contractionem veniant; quam stimuli magnitudo, molestiæ sensus, fibrarum robur partiumque functiones variæ mirifice variant, quemadmodum ventriculus ab acris sulphureis & antimonialibus emeticis moleste stimulatus atque cum violentia convulsus contenta reddit, intestina in passione iliaca à gravissima tensione aut exquisitissimo dolore spasmodice contrahuntur adeo, ut motu peristaltico inverso omniam crassorum intestinorum contenta quam ano longinquius injecta clysmata, suppositoria vi quadam sursum ad oesophagum faucesque rapiant. Quemadmodum suffocationes uterinae in hystericis à sanguine viscido æque ac acris & mordaci subortæ miras intestinorum, ventriculi, Oesophagi, & cum hoc diaphragmatis constri-

COROLLARIA.

I.

Mercurius & omnia remedia mercurialia summa mercurii divisibilitate, mobilitate retenta simul soliditate operationes & effectus suos in animantium corporibus peragere pro certo asserimus.

II.

Auri hinc specifica gravitas, soliditas summaque ductilitas tantum abest ut repugnent aurum in præstantissimam medicinam converti posse, ut potius probent hoc arte spagyrica debite tractatum nullisque corrosivis resolutum medicinam suppeditare debere exquisitissimam.

III.

Ex iisdem his causis quævis remedia Chymica & mineralia reliquis è regno vegetabili desumptis merito præferuntur, utpote quibus in exigua dosi datis Medicus chymicus sæpe plus præstat quam quivis alius maximo remediorum vegetabilium apparatu.

IV.

Nituntur hoc fundamento omnium lapidum pretiosorum, testaceorum in arte medica præparationes v. g. Corallorum, Crystalli montani oculorum cancri. &c.

COROLLARIA

Mercurius & omnia remedia mercurialia sunt
maxime curi divisa & pro illis reben-
ta sunt illis operantur & effectus in
de se grandis & oportet ut ergo pro centro
aliquibus

ET

Medicinis & illis solibus sunt
in illis ab eis reponent an-
tistimonium & illis reponent pol-
licium & illis reponent tra-
gaechiam & illis reponent mediam

JOH. GEORG. BARTHELEMY GY-

MEDICUS & PROF. PUBL. GY-
SESSOR & RECTOR UNIVERSITATIS
in diebus illis reponent plus pra-
sentia & illis reponent remedia in ve-

in illis reponent omnino lapidum
prodest in rebus medicis prop-
terea & in illis reponent con-
tinuata sunt &c.



ULB Halle

3


002 376 954



sb

VD 18







18

Q. D. B. V. 1709/1
DISSERTATIO MEDICA

DE
**ALPITA-
TIONE CORDIS**

Quam
DEO AUXILIANTE
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE & DOMINO
N. FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDENB.
HÆREDE, &c. &c. &c.
sub PRÆSIDIO
N. JOH. GEORGII A BERGEN
Med. D. & Profess. Ordin. in hac Alma Viadrina
mini Patroni, Fautoris, studiorumq; suorum Promo-
toris omni pietatis cultu æternum venerandi
publico eruditorum examini
exhibet

EINHARD RUNGE, Med. Cult. Neo-March.
ad diem April. Anno MDCCIX.

ofurti ad Viadrum, *Literis* JOH. CHRISTOPH. STEPPINI, R.A. Typ.